Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Anonym]: Poetae illius dictum, 12 Febr 1774

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

Poëtae illius dictum:
Vires sit vulnere virtus.
explanavit
Mauritü.

12 Febr. 1744. – 2158. 02

Bona fortunæ universa, Auditores æstimatissimi, casu aliquo, vel iniquo fato deficiunt tandem & dilabuntur. Valetudo corporis ægritudine defluit; robustissimi vires senio enervantur; formositas pulcherrima cadit; honores lubrici sunt; (etenim quem dies veniens supernum videt, hunc abiens relinquit hami iacentem) tandem aurei divitiarum montes liquefiunt, evanescunt; & sit stabile est nihil: sic constat immortale nihil.

Dissimiliter vero prorsus contingit in animi bonis, quæ voracis ævi dentibus non atteruntur, & adversæ fortunæ

stabilus non dissipantur. Sed vult virtus oppugnari, vult premi, vult in acie ac ferro, vult cum hostibus versari, & inter arma crescit. Nulla vis inimica virtutem pessundat, imo vero auget, accendit, inflamat; marcet sine adversario virtus, vires amittit vulnere. Sed opera pretium est, ut ipsum etiam distinctius ac expressius enucleemus. Est autem verus poëtae sensus:

Animus vera virtute imbutus, non frangitur adversis quae obtingunt casibus, sed crescit eo uberius.

Quam rem satis exhaustam fore puto, si

I. Vulnera ista, acerbosq; casus recensuero, atque

II. Invictum virtutis animum, & qui

fieri possit, ut istis potius erigatur, imo augeatur, ostendero.

Rogo igitur, Auditores Spectatissimi, ut quantam mihi deest eloquentiæ, (deest autem plurimum) tantum ab humanitate vestra, ac benevolentia accedat.

Varia sane mala, et a variis originibus, &c. ei accidunt, qui virtutem colit, omnemq; vitam suam eum ipsa degere studet. Sed duo præcipue sunt fontes, ex quibus omnis ipsius calamitas quasi emanare videtur: alter pravorum undiq; dispersorum hominum improbitas; sors alter. Quippe nefarius flagitiosis istis mos est, ut, quia ipsi vitiis excellunt, virtutibus ornatum sustinere non possint, sed ex omni societate rejiciant, insectentur q. Et quot sunt miserandi mortales, qui atrocissimo illorum furori evadere

non potuerunt, quantaq; mala, qua in-
iungere istis conantur. Hic vivo
pium probumq; virum, vexatum tot ini-
micorum odio, in quem crimina serunt,
nunquam commissa, cuiq; obtrectantur, fa-
mam lacerantes. Illic cerno oculis inte-
grum virum atq; incorruptum, & qui ni-
hil deliquit, quam quod nihil deliquit,
victima hostium furoris corruere, mor-
teq; abripi indigna atq; immatura. Hei
est invidia vis ingens ac rapida.
Sed quid moror istis, quid dictis opus
est, quum facta loquantur. Respici-
te tristia Socratis illius fata, qui lu-
men civitatis, totius Graecia saluti pro-
spicere solus sufficiisset, multis injuriis

agitabatur, iactabaturq. Et te, praecipue, o! Romanorum decus, Seneca, tuosq. appello manes, testorq., qui omnem senilem tuum sanguinem emisisti, vt furibundi istius tyranni cadisq. auare libidinem exsatiares.

Sed & praeter ista detestanda capita, supererat hostis alter, qui virtutem oppugnare videtur, sors. At tam multa exstant & atq. tristia fati prodigia, vt finem nullum orationi inuenirem, si quouis enarrare conarer, praecipua tantum adgrediar, ex quibus facilius eluceret, innocentem cum noxio, iustum cum iniusto pares perferre miserias calamitatesq.

Hic terribile sese atq. horrendum oculis

meis obiicit spectaculum, et quam quo sit flamae vis, et quas devastationes incendium invehat, animo recordor, toto corpore perhorresco. Video enim tecta ista magnifica, quae montium instar apicem in nubes altas erexere, simul cum piorum aedibus nunc in cinerem versa, atq; cum eximio splendore suo, qui omnium oculos praestringebat, destructa atq; disiecta. Illic flumen rapidum & prae abundantia aquarum exaestuans, scindit pontes, aggeresq; firmos, tectis agrisq; vastationem inferens, nullamq; refrenationem sustinens. Verberat aures meas miserandorum hominum quiritatus, qui undarum saevitiam cohibituri,

ipsi in praedam cessere. Hic dehiscentem
terram video exitiabilem evomere ignem,
urbes totas virtutis impietatisq; sedes
corruere, totasq; regiones subvertere; ma-
stos incedo locos visuq; deformes, templo-
rum adiumq; ruinas collustrans. Illic
totas provincias bello involutas cerno,
armorumq; fluctibus iactari ac pene
mergi. Et ita saepius, ut nullus cladium
ac funerum finis, nullus effusa sanguinis
modus & laniena, ut pius cum impio,
probus cum turpissimo pari cade cadant.
Tandem supererat crudelissima fere fati
saevitia, pestis, lues illa violenta, haec
tristis lurida mortis imago; quae in una
iam urbe tot millia hominum tanquam fu-

roris sua victimas atrocissimo modo absorpsit. — Obstupesco. —

Hæc sunt ista præcipua virtutis adversa, quibus vulnerari quidem & premi potest, sed non opprimi. Vincit tandem & crescit eo uberius, quanto deprimitur violentius; quod quidem in altera Orationis parte uberius explicabo.

III. Est omnino inter illustrissima virtutis ornamenta, gloriari in adversis, patienter & celso animo injurias, despicere pericula. Sed omnis de hac re disputatio absoluta erit, si quæ sit eius causa & quomodo acerbis erigatur virtus, excussero.

Et causam istius, quis ignorat? Quis ignorat, virtutem esse Dei progeniem? Flagro ex cælo nata, una ad cælum tendit, ac

sola perenat omni seculo durabilior; videt casus istos ac vicissitudines rerum. Sed si praeter ortum etiam ipsius naturam percontamur, facile inveniemus, quanta sibi praebeat solatia. Nimirum ipsa sibi est merces ac pretium, & mox ex contemplatione sapientiae divinae, quae explorare interdum suos nunc prosperis nunc adversis incipiat; mox e rerum fugacitate vanitateque solatia hauriet. Non si male nunc & olim sic erit, animo reputat, veniet aliquando dies, quae nos asseretos in libertatem eximet his mortalitatis vinculis, & ex lugente hoc campo in ea collocabit, ubi omnium miseriarum finis est, ubique nec temporum nec beatitudinis modus unquam futurus.

Ita sunt graves istae causae, quae vegetant virtutem, atque ad reportandam super hostes victoriam corroborant. Restat ut & alteram exeuntiam quaestionem: Qui fieri possit, ut miseriis ac calamitatibus magis erigatur virtus. Fit autem uti arborum mos est, quae quo violentius ventis agitantur, eo altiores in terram radices agunt; ut & quo magis in nos saeviunt mala, eo erectior est animus, omnesque fortunae ictus fortius excipit; & ut ignis paleam exurit, aurumque nitidius reddit, ita & calamniae & quivis casus acerbi hominem vera virtute praestantem illustrant; denique uti saepes viva amputando magis densescunt, ita & quae ad-

versantur virtuti, prosunt, eamq; magis confirmant. Sed forsan dubitabit quidam, an etiam tales unquam viros viderit terrarum orbis: at perlustret quaeso lumina ista totius Graeciae: annon aequitatis studium exilium Aristidi accersivit, sed fortiter vicit; annon studium sapientiae venenum Socrati adduxit? sed mortem non timuit; annon integritas & patriae salutis cura Demosthenem in calamitates detraxit? sed non fractus est animo, neq; concussus.

Hic, Auditores aestumatissimi! insignem virtutis splendorem intuemini, & non erit, quod virtutis pulchritudinis studium amplius vobis commendem; sed

194.

Cuivis Destrum ad ultimum ardamo:
Tu ne cede malis; sed contra audentior ito, quam Tua te Fortuna sinet.